

acceptabilis, ingrediatur una cum veste sua, Ecclesia, seu electis suis, in sanctuarium suum cœleste ut rependat eis mercedem pro ornamento vestis suæ, qua eum condecorarunt. Eo vocata cum esset a Christo paulo ante obitum suum S. Maria Ogniacensis: *Non potuit*, inquit cardinalis de Vitriaco, in ejus vita, lib. II. cap. X. *tunc præ spiritus ebrietate tacere, sed clamans dicebat: Audi a Domino me ituram in Sancta sanctorum. O dulcissimum vocabulum! Dic mihi mea Clementia*

(sic enim ejus ancilla vocabatur) *quid est Sancta sanctorum!* Ex famula volebat scire, quid eæ dictiones significarent, cum neutra id sciret. Audiebat etiam vocem Domini vocantis et dicentis: *Veni, amica mea, sponsa mea, columba mea, jam coronaberis.* Instante morte, cepit clara et alta voce cantare, nec cessavit spatio trium dierum et noctium laudare Deum. Adventante autem hora ultima, canebat: *Quam pulcher es, Rex noster Domine, Alleluia.*

IN FESTO EPIPHANIÆ.

EVANGELIUM. MATTH. II.

Cum natus esset Jesus in Bethlehem Judæ, in diebus Herodis regis, ecce magi ab oriente venerunt Hierosolymam, dicentes: Ubi est qui natus est rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in oriente, et venimus adorare eum: audiens autem Herodes rex turbatus est, et omnis Hierosolyma cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur? At illi dixerunt ei: In Bethlehem Judæ: sic enim scriptum est per prophetam: Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. Tunc Herodes clam vocatis magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis, et mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite et interrogate diligenter de puero, et cum inveneritis renuntiate mihi, ut et ego veniens, adorem eum. Qui cum audissent regem, abierunt. Et ecce stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos usque dum veniens staret supra ubi erat puer. Videntes autem stellam, gavisus sunt gaudio magno valde. Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus: et procidentes adoraverunt eum: et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham. Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.

CONCIONES.

- I. Ad veram fidem qua ratione perveniatur.
- II. Miseriæ gentilismi.
- III. Religio magorum proponitur in exemplum.
- IV. Magicæ artes cur detestandæ.
- V. Damnantur superstitiones seu vanæ observantiæ, eæque multiplices.
- VI. Varia divinationum genera exploduntur.
- VII. Documenta.
- VIII. Mysteria.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Quanta veneratione et gaudio excipienda hodierna dies.
- II. Pompa legationis trium regum.
- III. Quæ convenientia trium munerum regalium.
- IV. Mira et paradoxa in magorum adventu.
- V. Christus erga magos et humanum genus humanus et quasi aulicus.

CONCIO I.

AD FIDEM VERAM QUA RATIONE PERVENIATUR.

Petendo a Deo lumen: I. Ad cognoscendam veram fidem. 2. Ad cognoscendam veræ fidei necessitatem, et hæresis pravitatem. — II. Interrogando sapienter. — III. Progrediendo in studio bonorum operum.

THEMA.

Ubi est, qui natus est rex Judæorum? Matth. II.

Profecto videtur contingere hæreticis, quod olim Genes. XIX. contigit Sodomitis nequam illis hominibus. Quærebant enim hi magna conten-

tionem ingredi domum Loth, adeoque fores effringere: sed quia pessimo sine quærebant, percussis cæcitate, ostium invenire non poterant. Circuibant ergo domum et palpabant undique parietem, sed ostium non videbant. Eodem prorsus modo hæretici, cum vicinissimi sint Ecclesiæ Christi (utpote agnoscentes Christum) et palpent eum manibus ex certissimis argumentis; vident enim solam Ecclesiam catholicam esse antiquam, universalem, sanctam, apostolicam, miraculis comprobata, etc. interim tamen ostium ejus nequeunt invenire, dum nequeunt persuaderi, ut intrent in hanc Ecclesiam. Sane magi nostri e longinquo, et tamen ad primum statim diei

christianæ diluculum Christum invenerunt: *Infrantes domum, invenerunt puerum*, inquit evangelista: cum interim hæretici Ecclesiæ propinquissimi, palpent in mendie lucis evangelicæ. Nimirum quia obstinati sunt in peccatis, conspurcarent et turbarent Christi Ecclesiam, si in eam ingrederentur, ideo percutiuntur aorasia, ut ostium ejus non inveniant. Verum quia non omnes tales sunt, sed multi ex iis simplices et ab aliis seducti sunt, ostendamus eis viam ac media, quibus manuduci ad Ecclesiam Christi queant.

D. Thomas, opusc. LX. art. LXX. animadvertit tribus omnino in rebus, diligentem ac accuratam alicujus rei investigationem consistere; idque ostendit auctoritate S. Augustini dicentis: « O anima mea, si diligenter peteres, tribus hoc signis ostenderes. Primo enim, lumen peteres, ne tenebris impedereris: secundo, scientes interrogares, ne quærens oberrares: tertio, in nullo loco quiesceres, donec dilectum invenires. » Hæc omnino tria sunt observanda illis, qui a tenebris infidelitatis aut hæreseos emergere conantur, et Christum, id est, fidem veram invenire volunt. His enim tribus mediis invenerunt Christum magi. Primo, ducem secuti sunt: secundo, diverterunt Jerosolymam, ut interrogarent legisperitos, ubi Christus nasceretur: tertio, magna contentione persecuti sunt iter suum, afferentes munera, ut Christum indagarent.

I. Medium ergo primum est petere a Deo lumen, quo possis cognoscere, quæ sit vera religio, et quam malum sit vera fide destitutum esse. Primo, petenda est illustratio intellectus ad cognoscendam veram fidem, cujus cognitionem non est facile comparare. Quam multorum enim intellectus obscuratur odio, invidia, philautia, ignorantia, etc. Ac licet intellectus assequatur eam notitiam, non ideo inclinabitur ad assentiendum. Quis enim nescit plurimos aliud sentire, aliud agere? Quam sæpe convincuntur hæretici, ut ne verbo quidem contra mutire possint, interim tamen in sua persistunt pertinacia? Quæ causa, stella illis deest luminis supremi, quæ non illuminet tantum sed antecedit etiam, id est, incitet et provocet ad ambulandum, uti fecit illa magorum. Unde apostolus, II. Thessal. II. ait: *Non omnium est fides*, quia nimirum multi audita etiam prædicatione fidei nolunt credere. Et Christus, Joan. VI. de fide eucharistiæ loquens, ait: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, seu ut ibidem ait: *Nisi fuerit ei datum a Patre meo*. Unde patet fidem, id est, assensum fidei esse donum Dei, non quidem pure, ut prophetia, donum linguarum, ingenium, virtutes infusæ; sed dependenter a cooperatione nostra. Ideo et trahi

dicimur ex parte scilicet Dei: et venire ex parte videlicet nostra. *Et ut divinæ opus esse naturæ ostendatur, credere et venire ad Christum; ideo tractio ad Patrem refertur, qui fons est deitatis*, ait S. Cyrillus, l. III. c. XXXIX. Si Filius diceretur trahere, posset aliquis intelligere, fieri id secundum humanam ejus naturam, quia et homo erat. Sine isto interno lumine nihil est quiddam dicitur hæreticis. Multa Christi signa viderunt multi Judæi, et tamen: *Cum tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum*. Joan. XII. Audiebat utique Saulus (Act. VII.) Stephanum plenum Spiritu s. ita prædicantem, ut nemo posset resistere sapientiæ et spiritui ejus, viderat facientem signa et prodigia, et tamen adhuc non credidit, sed Ecclesiam persecutus est, donec circumfussit cum lux de celo, quæ et oculos ejus excecavit et mentem illustravit, Act. IX.

Secundo, petenda est illuminatio ad cognoscendam veræ fidei necessitatem, et hæreseos atque infidelitatis pravitatem. Expressum Christi pronuntiatum est: *Qui non crediderit, (vera utique fide) condemnabitur*, Marc. XVI. et apostoli ad Hebr. XI. *Sine fide impossibile est placere Deo*. Ut ergo sine fundamento nemo ædificare, ita sine fide, nemo salutem consequi potest. Si non potuit evadere diluvium, qui extra arcam fuit, poterit etiam evadere gehennam, qui extra Dei Ecclesiam et veram fidem est?

Quantum vero malum et peccatum sit hæresis, quis explicare queat? Primo, iniqua est in patres, quia suum judicium præfert omnium ss. patrum judicio, omnium Ecclesiæ doctorum, omnium Conciliorum et totius orbis episcoporum, quasi hi homines aut cæci aut mendaces fuerint, ipsi soli videant, et vera dicant.

Secundo, injuria est in Ecclesiam, quam fecit adulteram et meretricem Satanae, impingit illi crimen idololatriæ, et variarum superstitionum, denique eam extinctam et radicibus eversam cupit.

Tertio, injuria est in Ecclesiæ caput, pontificem, quem plusquam Vatiniano prosequitur odio, et miris calumniis onerat ac lacerat, uti et omnes Ecclesiæ ordines et gradus. Sane Lutherus quotquot papam oppugnavit, hæreticos recipit in amicitiam, uti Hussitas, et alios ejusdem farinae socios, etc. licet e secta sua in aliis maxime dissiderent, paratus etiam recipere Turcas (quod fecerunt etiam postea Lutherani et Calviniani.) Quantus hic in papam livor.

Quarto, impia est in Ecclesia sacra, quæ temerario ausu profanat, et indignis modis tractat, diripit, vastat.

Quinto, impia in ipsum Christum, cujus ve-

tem inconsutilem scindit et lacerat, cujus præsentiam in eucharistia cachinnatur et blasphemat.

Sexto, impia in proprium subjectum, quia radicem arboris, id est, basin et fundamentum justitiæ excidit: non ita alia peccata, quia relinquunt fidem saltem mortuam, quæ facile potest repullulare. Unde mirum non esse debet, si leges imperiales flammis animadverti jubeant in hæreticos, quia non unius tantum, sed plurimorum scelerum rei sunt. Quod si etiam unum furtum, fornicatio, detractio meretur ignem æternum in judicio Dei, quanto magis hæresis, quæ millies gravior est? Et si pœna ignis nostri millicuplo augetur, quam horrenda et intolerabilis foret? Hæc igitur et similia, ut videant hæretici, clament ad Deum sedulo: *Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte, nequando dicat inimicus meus: Prævaluit adversus eum*, Ps. XII. et: *Notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam*, Psalm. CXLII.

II. Interrogare sapientes et doctores, nec sequi proprium sensum. Ita nostri magi ingressi sunt Jerosolymam et seiscitati sunt Scribas: *Ubi Christus nasceretur*. Simili modo intrandum est in Ecclesiam, et interrogandi ejus doctores. Multi quidem pseudoprophetae dicunt: *Ecce hic est Christus*, (apud Lutheranos) ecce ibi (apud Calvinianos) sed nolite illis credere, quia non sunt Jerosolymis, non sunt in Ecclesia. Audi monentem Deum, Jer. VI. *Hæc dicit Dominus: State super vias, et videte et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in ea, et invenietis refrigerium animabus vestris. Et dixerunt: Non ambulabimus. Et constitui super vos speculatores: Audite vocem tubæ. Et dixerunt: Non audiemus*. Speculatores sunt episcopi et doctores Ecclesiæ, qui in alto perfectioris status constituti moment de periculis, hostibus, etc. Semitæ antiquæ, sensus et interpretationes sunt sacrarum litterarum, ab antiquo nobis traditæ, quibus insistebant veteres patres omnibus retro sæculis a Christo ad nos usque. Et his potius insistendum quam recentioribus novatorum, facile suadet, primo, consonantia ss. patrum per universum orbem, licet linguis, institutis et tot terrarum ac marium spatiis ac sæculis dissitorum, ut et SS. Conciliorum, quæ mire sibi coherent et pariter ab Ecclesia recipiuntur. Quod si aliqua inter scholasticos est dissonantia, non est circa res necessario ad salutem spectantes: non sine charitatis unione, non sine humilitate et moderatione, qua parati sunt stare judicio Ecclesiæ, si quid definiat. Novatores omnes circa res fidei dissident et se mutuo conviciantur.

Secundo, sanctitas illorum patrum toti orbi patens et clarens ex ratione vitæ, quam duxerunt, religiosæ, austeræ; ex miraculis; ex multorum martyriis; ex libris eorumdem, qui nihil aliud spirant, nisi sanctitatem, cum summa eruditione conjunctam, atque ipsum Spiritum s. velut ex ore ipsorum loquentem. Quibus accedunt sancti illi patres, qui non tam vocibus, quam moribus, non tam scriptis, quam factis, semitas illas antiquas demonstrant et confirmant, ut anachoretæ et alii viri religiosi sanctitate insignes. Illi verborum, hi factorum argumentis fidem veram ostendunt; illi digito demonstrant, quæ sit via ad Christum ducens; hi passibus et vestigiis suis. Quam contra impuri, flagitiosi, perditii fuerunt hæresiarchæ omnes.

Tertio, antiquitas ipsa doctrinæ, per omnia christiana sæcula ad nos usque propagatæ, sibi semper similis. Et sane doctrina et fides christiana tam antiqua esse debet, quam et ipse Christus, nisi eum mendacem facere velimus, dicendo regnum ejus eversum esse, fidem extinctam, et postremis demum sæculis in lucem rediisse. Omnis ergo doctrina, et s. Scripturæ interpretatio hoc ipso, quia nova est, vana est et falsa, cujusmodi sunt omnes sectæ nostri temporis; quæ non tantum nuper cœperunt, sed præterea in dies mutantur, ut non injuria dixerit S. Hilarius, fides hæreticorum esse bimestres et trimestres. Dum vero hæretici nostri intelligant juniores magistros et grammaticos, uti Lutherum, Erasmus, Melancthonem, Oecolampadium, Zwinglium, Carlstadium, Calvinum, qui heri nati sunt, spreto antiquorum patrum consilio, perinde agunt ut rex Roboam, qui seniorum abjecto consilio, juniorum placitum est secutus: ideoque regnum pene totum perdidit; eo enim scisso, decem partibus perditis, duas tantum retinuit, III. Reg. XII. Seniores igitur interrogandi sunt et (ut monebat Herodes: *Interrogate diligenter*) diligenter interrogandi sunt. Vita eorum legenda, doctrina eorum audienda. Nemo se seducat, nemo proprium sequatur sensum et judicium, quasi ipse per semet Scripturam intelligere queat, inconsultis patribus. Fervens desiderium indagandi veritatem et legendi s. Scripturam perduxit eunuchum illum ad fidem Christianam, dum in ipso curru legit Isaiam de Christo prophetantem: sed num ipsi sibi interpretes fuit, aut Scripturam claram esse pronuntiavit, et doctorem repudiavit? Minime: dicenti enim sibi Philippo: *Putasne, intelligis quæ legis*, respondit: *Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Rogavit ergo Philippum, ut ascenderet et sederet secum. Audit exponentem, credidit et baptizatus est, Act. VIII.

Imprimis vero seponi præjudicium illud debet, quo plerique imbuti sunt hæretici; quasi fides catholica idololatriam et varias superstitiones alat. Audiant catholicos, num vere ita sit: deceptos se videbunt.

III. Progredi assidue in studio honorum operum, quemadmodum et magi non quieverunt, donec Christum invenerunt. Hac enim via legimus, Act. X. Cornelium centurionem ad fidem pervenisse: «Corneli, ait angelus, orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam, in conspectu Dei. Et nunc mitte viros in Joppen et accersi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus, hic dicet tibi quid te oporteat facere.» Quin et evangelicus ille centurio, Matth. VIII. hac ratione pervenit ad fidem et gratiam Christi; ædificaverat enim Hebræis synagogam; misericors fuerat erga servum suum, disciplinam inter suos milites servabat, etc. Porro orationi et eleemosynæ si jungas jejunium, affers ad Christum tria illa munera, quæ attulere magi, thus, id est, orationem; myrrham, id est, jejunium; aurum, id est, eleemosynam. Exempla complura sunt, quæ ostendunt his mediis ad Christi fidem adductos infideles. Inter alia celeberrimum est illud s. Eustachii apud Metaphrastem, qui quamvis profundis errorum tenebris adhuc esset obvolutus, et insana idolorum cultura infamis, tantæ tamen virtutis, ut nihil ejus moribus honestius, nihil animi splendore candidius, nihili denique ejus ingenio suavius videretur. Non enim ferebat, ut dum insigni aliqua victoria hostes vinceret, a suis ipse cupiditatibus vinceretur. Ita vitam admiranda quadam prudentia moderabatur, et subditorum animos, beneficiis arctissime devinciebat, pauperes non ad fastum, sed ad occultam virtutis elegantiam, larga manu sustentabat. Hinc ergo viam sibi aperuit ad Christi gratiam, qui postmodum in venatione inter cervi, quem Eustachius (tum adhuc Placidus dictus) concitato equo insequebatur, cornua, crucifixi imago apparuit et hanc, vocem dedit: «Placide, Placide quid me persequeris? Ego Christus Jesus cæli terræque Dominus et humani generis redemptor, tuis delectatus virtutibus huc tibi adsum, ut tantas virtutum copias profundis errorum tenebris immersas in lucem vindicem, teque e dæmonum servitute in cælestis patriæ libertatem restituam.» His auditis Eustachius instar Pauli animo repente mutatus, fœdam sceleratamque idolorum superstitionem vehementer est execratus, et quærens sacerdotem, christianis sacris imbutus, et salutaris lavacro expiatus, demum martyr quoque insignis cum uxore Theopasta factus est, Lipeous, tom. III. 20. septem. Vidimus etiam alibi

puellam Alexandrinam gentilem, ut hominem debitis gravatum ab interitu et laqueo, quem sibi jam induerat, revocaret, patrimonium ei suum obtulisse; et propterea, cum et ipsa de vita et salute in gravi infirmitate periclitaretur, ad baptismi gratiam divino instinctu perductam; et cum ob patrini defectum ab eo repelleret, angelos duos pro patris sortitam, sicque in Domino mortuam esse. Ut habetur in prato spir. Sophronii, cap. CCVII. et ex eo Baron. anno 537.

Hæc est igitur via, hæc ratio ad Christum eoque fidem perveniendi, etc.

CONCIO II.

MISERIE GENTILISMI.

I. Cæcitas miserabilis. — II. Superstitiones insanæ. — III. Politia pessima. — IV. Turpitudine publica. — V. Tyrannicum imperium. — VI. Jugum dæmonis gravissimum.

THEMA.

Videntes autem stellam, gavisii sunt gaudio magno valde. Matth. II.

Festivitas hodierna celeberrima semper fuit omnibus Christianis, quia mater et regina est cæterarum festivitatum, quas agimus Christiani. Hac enim sacra die vocavit Deus nos de tenebris in admirabile lumen suum, et cepimus fieri Christiani, hoc est, sapientes et illuminati, qui prius eramus ethnici, id est, omnium errorum tenebris involuti. Quam ob causam Cæsares etiam perfidi et impii, qui vel odorem tantum aliquem Christi retinebant, festivitatem hodiernam sua præsentia cohonestabant: siquidem Julianus apostata, qui pallio christianæ simulatæ religionis, latentem impietatem studebat contegere, cum esset in Galliis voluit hac die cum cæteris Christianis sacris interesse mysteriis, ut scribit Ammian. Marcellin. lib. XXI. Idipsum præstitit Valens imperator Arianus, ut de eo testatur S. Gregor. Nazianz. orat. in laudem Basilii. Visus enim fuisset a religione christiana prorsus alienus, qui tantæ festivitati non adesset. Theodosius imperator hujus diei solemnitatem adeo coljussit, ut septem diebus, qui præcedunt, ac totidem qui subsequuntur, judicialem strepitum facessere præceperit, ut habetur, lib. II. c. de fer. Ut vero agnoscamus, quantis e miseriis mundus hodie ereptus sit vel saltem eripi cæperit, perspiciemus eas in quibus olim hæsit.

I. Prima fuit cæcitas mira et mirabilis, seu errores circa Deum, ita ut apostolus ad Ephes.

V. dicat, gentiles fuisse ipsas tenebras: *Erant aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.*

Primo enim, teste eodem apostolo ad Rom. . *dataverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum et serpentium.* Plerique enim gentiles putabant ipsa idola lignea et lapidea esse deos; alii tamen sapientiores, uti philosophi, non credebant esse deos, sed deorum tantum simulacra: omnes tamen idola adorabant, quia nimirum putabant idolum vel esse corpus Dei, vel effigiem ejus, vel certe sedem et locum, adeoque habere aliquid numinis, ut cum ad eos iretur, ad deos ire se putarent. Si qui demum fuerunt, qui non ex animo, sed metu legum et magistratus idola coluerunt, pauci illi fuerunt.

Secundo, fœdissima et vilissima quæque pro diis habuere. Nam et aves, serpentes, feles, crocodilos, imo allia, porros, fabas, quin et stercutium, cloacinam, pestem, febrem, aliaque his absurdiora pro diis coluisse, testis est Aug. l. III. de civ. c. XII. l. IV. c. X. et seq. Cicer. l. V. Tuscul. ait: «Ægyptiorum morem quis ignoret? Quorum imbutæ mentes pravitate erroribus, quamvis carnificinam prius subierint, quam ibim, aut aspidem, aut felem, aut crocodillum violent: quorum si imprudentes quidpiam fecerint, nullam penam recusent.» Taceo fœdam deorum nomina, Volupiam et similia, proferre non sinit pudor: taceo plerosque illorum deos fuisse homines sceleratos, et flagitiosos, ut Herculem, Bacchum, Mercurium, Jovem, etc.

Tertio, innumeros pene excogitarunt deos, nam Varro numerat trecentos, eoque superstitionis venerunt, ut cuius desiderio et cupiditati suæ, imo cuius fere herbæ et radici suum assignarint deum velut pomis Pomanam, melli Mellonam, floribus Floram, equis Hipponam, bobus Bubonam, seminibus Seam, segetibus Segetiam, sermonibus Aium, rebus agendis Agonium, silentio Angeronam, fidei Fidium, liminibus Limentinum, cardinibus Cardam, portibus Portunum, peregrinantibus Eanum, januis Janum, reprehensioni Momum, consiliis Consum et hujusmodi nomina portenta infinita. Ad hæc numinis cultum tribuerunt etiam ipsis vitis, morbis, temporibus, ut pesti, febrî, mortî, tempestati, fortunæ, pavori et pallori, fornaci, etc. Denique, Romani ad quemlibet creaturæ profectum deum vel deam commenti sunt, ut deam Segenam cum bladum seritur: Orteam cum oritur: Spiceam cum spicam facit: Nodeam cum nodum producit, quasi sufficeret una dea ad gignendum bladum, August. de civ. Dei.

Quarto, tribuebant illis corpora et mores atque effectus hominum. Unde mane oraturi excitabant eos vocibus et tibiis quasi dormientes: et ut Lactant. l. VI. ait: «Mactant hostias Deo tamquam esurienti: profundunt vina, tamquam sitiienti: accendunt lumina velut in tenebris agenti.» Ad hæc in afflictione maledicebant diis suis, quasi ejus auctoribus, uti etiamnum faciunt Sinae et Japones, qui deos suos flagellant, cum ab iis non audiuntur, vel sinistram fortunam experiuntur. Unde Cicer. l. II. de natura deorum, sub ementito Q. Lucii Balbi nomine, stomachatur ipsemet in vulgi opiniones, quibus affingit diis cupiditates, ægritudines, iracundias, bella. Verificatum est ergo in hoc illud Isaie XXXII. *Ecce in justitia regnabit rex, etc. et cor stultorum intelliget scientiam, cum scilicet respiscent a stultis suis idolis.*

II. Superstitiones insanæ circa sacrificia. Primo enim, hostias mactabant, maxima superstitione et ineptissimis ritibus, et fere singulis diis peculiari, superis albas, inferis nigras; aliis taurum, aliis porcum, aliis gallum, aliis equum, etc. Deinde, peracto sacrificio saltabant, in circulum se gyrabant, epulabantur, etc. ut videre est in antiquit. Romanis Rosini.

Secundo, homines immolabant et sæpe charissimos quosque amicissimos et nobilissimos. Sic Ammonitæ filios suos immolabant Moloch, quod idolum erat statua concava manus habens latas, in quibus ponebatur puer immolandus, qui igne statuæ subjecto intrinsecus comburebatur, ac ne puerorum sic ardentium ejulatus audirentur a parentibus, sacerdotes interim tympana pulsabant. Alii ut Phœnices, Carthaginienses, et Rhodii et Cretenses, infantes principali honore insignes, quos sors jacta designasset, in regio ornata Saturno immolabant. Unde finxerunt poetæ, Saturnum devorare voluisse Rheæ parentis filios: quin et nostro sæculo Mexicani quotannis ad viginti hominum millia immolabant dæmoni; et in Mechocacum urbem dæmon sibi offerri postulavit id, quod civibus erat charissimum, uti sponsam vel infantem speciosam, qua de causa indigenæ tam truculentum deum peror: Christi fidem sunt amplexi, ut eorum proceres testati sunt, p. Antonio Mendoza societatis Jesu. Alii post immolatas proprias proles, deficiente hostia, seipso sua manu obtruncabant et immolabant.

III. Politia pessima, et jura iniquissima. Primo, milites fere eligebant imperatores, et eosdem exauctorabant, quandoque occidebant; et fere imperatorum alter alterum e medio tollebat. Adhuc imperatores tantum, et horum aliqui nequissimi, in deorum numerum referebantur sic

Hadrian. imperator Antinoum puerum amasium suum in deorum numerum retulit; Antoninus Hadrianum pessimum; Severus Commodum spurcissimum; Maxentius Maximianum. Relatus est in eosdem Antonius Caracalla, parricida et incestuosus privatorum nullus, præter Diocletianum, qui imperio deposito obiit privatus, Baron. anno 316.

Secundo, pro libitu filios oppignorabunt ac vendebant, quod inhibere conatus est Constantinus Magnus, epist. ad Menandrum, constituendo eis annonam publicam: quinetiam ex lege duodecim tabularum impune occidebat. Item gladiatoria spectacula edebant, ubi mutuis vulneribus digladiantes concidebant: quæ etiam vetuit Constantinus, epist. ad Maximum præfect. præt. Uno munere Trajanus decem millia gladiatorum populo exhibuit, quasi rem magnam et cælo dignam præstaret, Dionys. in Trajano. Nonnulli parentibus ac liberis fame et inedia pereuntibus interim xenodochia ædificabant, in quibus infirmæ aviculæ, quas hinc inde maximis impensis colligebant, sedulo curarentur. Ut videre est in hist. Ind. orient. Pet. Jaric.

Tertio, alii, ut Persæ, sorores et matres et filias suas nefandis sibi matrimoniis iungebant: alii, ut Scythæ humanis carnibus vescabantur: alii, ut Massagetæ, cognatos senes edebant: alii, ut Hycarni avibus; alii canibus, ut Caspii, eos objiciebant: Lacedæmones furtum laudabant, quasi rem solertem et ingeniosam: alii proprias conjuges hospitibus prostituebant in symbolum hospitii. Leges Platonis jubent non subveniri ægris, licentiam dant mentiendi, et infantes occidendi, uxores communicandi: Lycurgus jubet hospites finibus expelli, pueros concedi impune, feminas exponi.

Denique, multæ gentes degebant instar ferarum, se invicem spoliantes et devorantes. Germani, teste Tacito, diem noctemque continuare potando pulchrum putabant, convivia rixis, cædibus ac vulneribus transigebant. Hungari, teste Reginone, belluarum more carnibus crudis vescabantur, sanguinem bibebant, corda hominum quos capiebant, particulatim dividentes veluti pro remedio devorabant, nulla miseratione flectebantur, etc.

Hos efferatos et belluinos gentium mores in mites et humanos per Christum convertendos prædixit Isaias, cap. XI. cum ait: *Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hado accubabit: vitulus, et leo, et ovis simul morabuntur, et puer parvulos minabit eos.*

IV. Turpitudine publica, in quam prolapsi sunt culpa et merito suo, de illis testatur apost. ad

Rom. I. cum ait: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam: et mox: Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominie, (in libidines scilicet pathicas, ut habet Græcus, et pudendas) nam femine eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum, qui est contra naturam.* Unde facti sunt velut equus adhiñiens equæ, et velut equa adhiñiens equo.

Primo enim, non plebei tantum sed etiam philosophi plerique laborabant vitio pæderastiæ, ut Socrates hoc nomine inter alia ad mortem condemnatus ducentum octoginta sententiis, teste Philone, l. II. de vita contemplativa, et alii communiter, apud Laertium, l. I.

Secundo, etiam femina ut ait Seneca, ep. XCV. « Corporum quoque virilium vitia æquaverunt: non minus pervigilant, non minus potant, oleo et mero viros provocant, libidine vero nec manibus cedunt, pati natæ. »

Tertio, prostibula apud eos nullibi non tolerata, imo culta velut sacra loca, uti fanum Veneris Corinthi habens plusquam mille meretrices, apud Strabonem, l. VIII. ubi hospitibus ad se adventantibus pudorem prostituebant, et Herodot. l. Ita Num. XXV. Moabitæ prostituebant Israelitis filias suas: imo prostituti sunt ab ipsis et mares.

Quarto, turpitudines illas exercebant sæpè numero publice et in festis, ut Veneris, Priapi, Bacchi: et quas aliter non poterant sibi devincere feminas, vi rapiebant, veluti equi ad equas cum furore adsilientes. Unde Abraham in Ægypto non fuit ausus dicere, Saram esse conjugem suam, ne eam raperet Pharaon, quod nihilominus contigit, Gen. XII. Et quis nescit Sodomitarum turpitudinem furibundam, qui hospitibus ad se divertentibus illico vi illata abuti obscenissime contendebant.

V. Tyrannis seu imperium tyrannicum imperatorum, de quo loquitur Dominus cum ait: *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic,* Luc. XXII. Patet imprimis in Romanorum imperatoribus gentilibus, veluti in Nerone, qui Agrippinam occidit matrem, Octaviam uxorem relegatam mori compulit, et optinum quemque sustulit, denique urbem variis in locis incendi jussit, incendiū ex alta turri gestiens spectavit, et nihilominus Christianos impudentissime in crimen ejus vocavit, Bar.

De Caio Caligula scribit Seneca de consul. ad Helviam, illum a rerum natura editum, ut ostenderet, quid summa vitia in summa fortuna possent: Domitianus, alter Nero ab ipsis gentilibus vocatus, ob nimiam sævitiam cunctis invisus, occisus est in palatio: Severo imperatori accla-

mabant ipsi gentiles: *Vere sui nominis imperator, vere pertinax, vere severus:* Maximus tam crudelis fuit, ut alii illum Cyclopem, alii Busiridem, alii Scirrhonem, nonnulli Phalarim, multi Tychonem, vel Gygem vocarent. Senatus eum adeo timuit, ut vota templis publice, privæque mulieres cum suis liberis facerent, ne ille unquam urbem Romanam videret. Audiebant enim alios in crucem sublato, alios animalibus nuper occisis inclusos, alios feris objectos, alios fustibus cæsos, etc. Quale monstrum hominis fuit Antonius Heliogabalus? Sane ob inauditam ejus in omni genere libidinem nemo imperatorum deinceps ausus est accipere cognomen Antonini, quod prius honorificum et pluribus imp. commune fuit, apud Lampriid. Herodianum et alios. Atque ut reliquos taceam, vel ipse Constantinus M. imper. antequam fidem complecteretur, ex infantum coemptorum sanguine crudele balneum parabat lepræ suæ curandæ. Denique, Fl. Claudius morionem habuisse refertur, qui dicebat, se omnes imperatores bonos, qui Claudium præcesserunt (fuerunt ad triginta et quatuor), in uno annulo sculpturum.

VI. Jugum dæmonis durissimum, quod describit Isaias, cap. IX. a Christo ablatum dicens: *Jugum oneris ejus, id est Galilæa gentium, et virgam humeri ejus et sceptrum exactoris ejus superasti.* Dæmon enim decipiebat responsis et oraculis; quæ fere ambigua fuerunt. Item mendaciis et vanissimis ominatibus haruspicum, qui ex animalium mactatorum extis inspectis vanissima quæque vanissime prædicebant? Adeo ut de illis vel ipse Cato diceret apud Ciceron. l. II. de natura deorum, mirari se, quod non rideret haruspex, haruspicum si vidisset: « Quota enim res quæque evenit prædicta ab istis; aut si evenit quidpiam, quid afferri potest, cur non casu id evenerit, » ait idem. Dementabat eos auguriis, ut volatus avium certis ritibus observarent, unde avis prodiret, hucne an illuc volaret: an prono, obliquo sapinoque motu ferretur, quo flecteret: an etiam, quomodo caneret; pullos item in pullariis, an et quomodo cibum sumerent, num garrent, an silerent, etc.

Ad hæc premebat eos gravissimo servitutis jugo, exigendo ab eis quotidiana et iniquissima peccatorum tributa, adque eos incitabat et pene competebat: postmodum in inferno virga humeri sui, hoc est, eadem qua ipse premebatur damnationis poena mulctabat.

Quoniam igitur aspeximus, in quantis errorum tenebris hæserint aliquando majores nostri, et nos hæsure essemus, nisi in Christo renati essemus, exultemus imprimis hodie: *Gratias agentes*

Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum dilectionis Filii sui, ut ait Apost. ad Coloss. I. etenim: Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, et habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis, inquit Isaias, c. IX. Habitabant sane in umbra mortis, id est, morti æternæ proximi gentiles, et habitassemus nos cum illis; nunc autem lux evangelii clarissima nobis orta, abstulit umbram illam, removit a nobis infernum, modo ad eundem nos non recurramus.

Deinde, sicut ad exortum lucis fugiunt in specus noxia animalia et latrones, surgunt contra et prodeunt ad laborem homines juxta Psal. CIII. *Ortus est sol et congregati sunt, etc. exhibit homo ad opus suum;* ita merito monet nos hodie Ecclesia verbis Isaiæ, c. LX. *Surge, illuminare Jerusalem, quia lamen tuum, et gloria Domini super te orta est.* Quando enim densa nox transiit errorum et ignorantie, dies vero illuxit, decet omni modo ut e lecto corporis et vitiorum una consurgamus, et induti veste justitiæ, ut filii lucis ambulemus, prout monet etiam apostolus ad Ephes. V. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate:* et ad Rom. XIII. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit, abjiciamus ergo opera tenebrarum et induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus.* Quid enim obsecro nobis prodest, ereptos esse a carcere et servitute dæmonis, si ad eandem, culpa nostra, iterum retrahamur? Quid juvat e profundo ceno extractos et ablutos esse, si rursus immergamur? Quid proficit a societate scorpionum et draconum, furum et latronum nos abreptos esse, si eorum operibus rursus communicamus? Ideo subdit apostolus, citato loco ad Ephes. V. *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum.*

Denique, oremus ut de claritate in claritatem, de lumine fidei ad lumen gloriæ ambulemus, dicamusque cum Ecclesia in orat. hod. « Deus qui hodierna die Unigenitum tuum gentibus stella duce revelasti, concede propitius, ut qui jam te ex fide cognovimus, usque ad contemplandam speciem tuæ celsitudinis perducamur, Per eundem Dominum nostrum, etc.